





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-593946-p0002-9

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-593946-p0003-5

DFG



1614.

1. Brunnens, Dominicus : De defensione necessaria.

2. Brunnens, Dominicus : De prioritate et concurrens crisi.

Iurium tam diuinitutum juri civile gnum personatum.

3. Brunnens, Dominicus : De usurpatione latibus, confederatis et pactis successoriis principium et illustrissimum familiarium

4. Brunnens, Dominicus : De origine et potestate moderna plectorum in imperio Romano-Germanico.

5. Bartham, Burkhardt : De pace religione data

6. Fonsanus, Ortelius : De iure et privilegio scholarum

7. Fonsanus, Ortelius : De servitubus realibus

8. Fonsanus, Ortelius : De iure edereendi.

9. Fonsanus, Ortelius : Cataria questionum miscellanearum ex singulis iuris cintis materialis et scriptorum


IV Librum Inst. q. Iustiniani redacta

10. Fomamus, Orphilus: De quaestionsibus et tormentis 1  
11. Filius, Petrus: De nobilitate politicae sine ciuitate, 19  
Gisque praerogationis et privilegii  
12. Godes, Christopherius: De jure testati 20  
13. Pisinger, Virgilius: De sacro Romano nationis 21.  
Monumentum imperio  
14. Schroeterus, Petrus alias: De successione conjugum 2  
ab intestato. 2.  
15. Schruterus, Petrus alias: De procuratoribus  
16. Suerius, Johannes: Centuria controversiarum  
selectissimarum ex singulis capitibus faro ciuitatis  
ad sonum Pandect. ex quibusdam iuris canonis et fea-  
datis et reic. Imponit.  
17. Suerius, Johannes: Quæstiones controversæ ex iure  
ciuitatis et fœdatis deponitæ.



18. Jucius, Johannes : Tarii bellici delinatio brevissima.
19. Jucius, Johannes : De usucaptionibus et praescripti-  
bus.
20. Theronicus, Petrus : De mutuo
21. Theronicus, Petrus : Illustrationes . . . quorundam  
sententiarum iuriis controversi.
22. Ungepaus, Erasmus : De fabelis.
23. Ungepaus, Erasmus : De testamentis ordinariis





De 1614, 1  
5.  
**DEFENSIONE**  
**NECESSARIA**

*Ex l. 3. ff. de Just. & Jur. & l. i. C. unde vi*

*Πτίσης*

*Q U A M*

*Σὺν τῷ πανσέφῳ,*

**Magnificique, in Salana illustri,  
ordinis Juridici auctoritate atque  
suffragio,**

*Sub*

*Amplissimi & Consultissimi Viri*

**DN. DOMINICI ARUMÆI J. U. D.**  
Profess. Publ. Scabinatus & Curiæ provin-  
cialis Adsefforis Celeberrimi, Præceptoris sui plu-  
rimū colendi

**P R Ä S I D I O**

*Publicæ disceptationis examini subjicit*

**ABRAHAM CHRISTNERUS**  
Crimmicio-Misn.

*Ad diem 7. Maji horis locoqz consuetis.*

**J E N Æ**

Typis HENRICI Rauchmauls/

*ANNO*

*M. DC. XIV.*




VIRIS  
**NOBILITATE STEMMA TIS,**  
*Antiquæ prosapia, virtutis atq; eruditionis  
solidæ synapsim conspicuis,*

Fra-	SIGISMUNDO	A'	Vigilum Præfecto, vigilantissimo.	S
tri-		R		I
bus	ALBERTO	H	Utriusq; Ducatus Svidnicensis &	L
Ger-		O	Jauraviensis, judicii q; ibidem	E
ma-	DAVIDI	R	superioris Adfessori dignissimo.	S
&				I
nis	NICOLAO	R	Etiamnum Jenæ studiis humanioribus operam sedulam navantibus.	I
	Nec BALTHASARO		à Bötsch.	S
	NON ADAMO		à Landeck.	I
				S

Discipulis, ut quodam per aliquot annorum intervallum dilectis: ita nunc Mecœnatibus & fautoribus singulari observantiae cultu prosequendis,

*Hanc disceptationem  
Offerendo consecrat,  
Consecrando offert.*

Auct. & Resp.



# Meo Charissimo quondam Præceptorि

A B R A H A M O C R I S T E N E R O.

O ABRAHAME sacræ defensor fide Themistos,  
Et divæ, Tutor sedule, Justitiae.  
ABRAMUM tuate tām insignia nomina clarant,  
Æmula vel Phœbi nomina nominibus.

Te Mystam JURIS: JUSTI DEFENSIO JUSTA  
Signat: bis vir es, Myſta, Abrahamus item.

Hinc bis-grata dabit, Myſta, simulatq; Abrahamo  
Slesica terra ARAS, SLESICA terra SARAS,

Mufulæ

Davidis à Rhor  
accinebant.



T Utelæ dum inculpatæ moderamina verè  
Tutâ inculpatâ & tu moderare manu,  
CHRISTNERE, ô inculpatæ moderamine mentis  
Sublimem JURIS digne tenere thronum,  
Quænam te maneat rogo laus moderaminis hujus?  
Et tam inculpati gloria quænam animi?  
Dicam: Tutelæ tu verè es nomine Tulus  
Gloria proq; modo te manet absq; modo.

De

Præceptore olim suo, nunc  
amico honorando omi-  
nabatur.

Nicolaus à Rhor Nob. Siles.

Hec

**H**æctua cum radio defensatore corusca  
Scripta Dice aurivomis vidi ocelliculis,  
In sarcasmicos inspicans lumina noctis,  
Præmorsis dedit hæc sibila lata labris.  
**Q**uid tibi nunc vis *VIS*? te nunc *JUS* esse necessum est,  
Et tutricem pro *JUS* RE vibrare manum:  
**D**E FENDENS *JUSTÆ* sibi *VI JUS*, *JURE* homo *VIM*  
Gignit, & hæc (*JUSTA* est *VIS* quia) *VIS* sine *VI* est.  
Euge triumphandum! Lupus in grege namque bidentum  
Jam mitis, rapidi dememor oris ovat:  
Hoc ultrà sepem Naturæ saltat & Artis,  
*JUS* è *VI* ègue *MALO* progenerare *BONUM*.

Jo. ab Höckelshoven junior.  
Breslâ-Silesius.

**A**djuva Mens Dextræ; Mentis sit Persica Dextra;  
Mars Dextræ; Mentis ventilet arma Themis.  
Sic Pete sic Repete Statu robustior hostem,  
Quum ruit in vitæ jura sequestra tuæ.  
Hoc HABET; exclama Victor, tibi rideat omnis  
Police Converso; flet Libitina tubas;  
Herculis ad statuam suspendas Nobilis Arma;  
Nec culpare manus ille vel ille queat.  
Hoc CHRISTNERE doces Naturæ Dogma, Themistos  
Cæsareæ compar undiq; Dogmatibus  
Teq; doces pariter Naturæ Plasma, Themistos  
Cæsareæ compar undiq; plasmatibus.

Heinricus Albertius Hammelton  
deproperabat.

**M**ira cano, sed vera cano, labor improbus ense  
Se cingens stricto, vultu CHRISTNERE minaci  
Te vocat, & vitam cupit obfuscare tenebris.  
Quid nunc? quid cessas? pauci quos Juppiter aequus  
Virtutis superum juvit constantibus armis  
Constantes tot tela, viri, discrimina tot que,  
Effugere, putas? nil est, tibi Juppiter adstat,  
Anceps pugna; labor vim, vires collige, tectim.  
Vim parat. En vincis, ferrum sub pectore condens.  
Justa Themis sed quid? vim si depellere quod sis  
Ausus, quid dicet? refert par tuque, reclamas?  
Jure sonas, cathedram scandens, DEFENDERE FAS est.

Andreas Wittecop. Glac. Sil.



# DE DEFENSIONE NECESSARIA,

*Ex l.3. ff. d. Just. & fur. & l. i. C. unde vi.*

**D**E F E N S I O N I S M A T E-  
R I E M pro casuum & cir-  
cumstantiarum variarum va-  
riete, maximè difficilem,  
difficultate nobilem, nobili-  
tate utilem, utilitate ponderosam, ponde-  
re deniq; περιέχεως frequentem, ego deliba-  
turus, ob multiplices plurimorum op-  
niones, & dissensiones penè intolerabiles  
(eo quod hīc non de cassa nuce, aut asini  
umbra; sed hominis sanguine & vita, re  
omnium preciosissima agatur) operæ  
precium existimavi, θεος & ζητήματα subse-  
quentia ex certis juris textibus & opti-  
morum interpretum commentariis colli-  
gere, & collectas publicæ συζητήσεi subjecere,

A ad

ad ipsissimam veritatis orbitam indagan-  
dam, & indagatam usui accommodandā.

## ΘΕΣΙΣ I.

**Q**uia verò in defensione quandoq; homicidium, modera-  
mine inculpatæ tutelæ servato, est permisum, ut liquet,  
*ex d.l.3.d.f. & f. & alijs juris textibus.*

II. Ipsissima methodi natura imponit necessitatem præ-  
mittendi quædam, ad subjectæ materiæ declarationem nece-  
faria de homicidio *ex tot.tit.ff. & C.ad l.Cornel.de siccari.*

III. Dicitur autem homicidium, q. hominis cædes, destruc-  
tio seu occisio *c.Homicidium 23.q.5.lib. 19. Aug. cont. Faust.*

IV. Et definiri potest homiuis destructio, qua anima di-  
velliatur à corpore, & divellens jure, aut condemnatur aut  
absolvitur.

V. Hominis dico: non igitur cadaveris vel monstri huma-  
ni, quod si quis transfodiat, aut decollet, homicidii reus dici  
nequit, licet animum occidendi habuerit, *cum Bald. ad l. 1.n.19.  
C. qui accus. non poss. Et t.sororem. C. de his quib. ut indig. &c.*

VI. Destructio dicta, si sit à Bruto, in specie dicitur paupe-  
ries, *tot.tit.ff. si quadrup.paup.fec. dic.*

VII. Sin ab homine sibiipsi violentas manus inferente,  
nuncupatur *ἀντοχεία*, omni jure prohibita.

VIII. Sin ab interficiente alium, propriè homicidium ap-  
pellatur, & in jure potissimum consideratur.

IX. Estq; duplex: Aliud scil. ob delictum, pœnæ obno-  
xiūm: aliud verò ob casum vel necessitatē à pœnâ liberum.

X. Obnoxium pœnæ rursus est vel dolosum vel culposum.

XI. Dolosum, quando, voluntas directò immediate & per  
se, adeoq; liberior & promptior fertur in delictum.

XII. Et vicissim, aut simplex seu repentinum: aut delibe-  
ratum.

XIII. Illud est, quando nulla prævia deliberatione, sed mo-  
tu animi repentino & temerario, quis occidendi propositum  
concipit, & nulla interpositâ morâ in effectum deditur.

XIV. Hoc,

XIV. Hoc, quando quis prævia deliberatione aliquem aut ex insidiis aggreditur? aut se amicum simulando invitat ad convivium, animo interimendi.

XV. Ad dolosum ergò referri debet: si quis temerario austi Sejum insequendo è medio tollere cupiat, & errore personæ Cajum tollat.

XVI. Item si quis accepta pecunia vitæ alterius interitum moliatur & adferat: Hinc assassinum.

XVII. Item si quis spe lucri sanguinem non vereatur profundere humanum: Und Latrocinium.

XVIII. Culposum dicitur, quum voluntas indirectè & mediatè in delictum rapitur: seu quum ex culpa homicidium perpetratur.

XIX. Culpa dicitur, cum per imprudentiam peccatur, quæ tamen humanâ diligentia præcaveri potuisset.

XX. Estq; lata, levis, levior.

XXI. Lata: V. G. Si quis ignarus principiorum Juris Medicinæ, jaculatoriæ, aliquem morti adjudicet, pharmacis enecet, globove trajiciat.

XXII. Levis: V. G. Si putator arborum, ubi vulgò iter fieri solet, ramum dejiciat, & clamore non præmisso prætereuntem occidat.

XXIII. Levior: V. G. Si Machinarius eo in loco, ubi signum posuit, aliquid dejiciat, clamoreque prætermisso trans euntē ex improviso interficiat, l. si putator ff. ad l. Aquil. & l. Divus ff. de offic. præsid. plura culpæ exempla suppeditabit constit. Carol. art. 146.

XXIV. Ex quibus patet delicti gravitatem ex animo & voluntate potissimum dijudicari.

XXV. Ex delicti porro gravitate, pœnæ quoq; gravitas reputanda, Deut. 25. v. 3. fac. l. respiciendum ff. de pœn. c. non affenamus 24. q. 1. ibi sceleratus est gl. in c. quid in omnibus 32. q. 7.

XXVI. Unde dolosum gravius homicidio culposo punitur, per d. l. respiciendum § fin. ff. de pœn.

XXVII. Illius pœna est ordinaria: hujus extraordinaria.

XXVIII. Ordinaria seu capitalis fundatur tam juris textibus quam rationibus.

XXIX. Juris textibus, l. 3. C. de Episcopal. aud. l. unica. C. de rapt. virg. l. 3. § fin. l. qui cædem 16. ff. ad L. Cornel. de Sicar. l. si quis 8. C. eod. l. capitalium 28. §. venenarij ff. de pœn. §. item lex Cornelia Inst. de publ. jud. Apocalypf. 13. v. 10. c. 2. de delict. pueror. &c.

XXX. Rationibus. Talis enim homicida damno & injuria afficit Deum: Rempubl. totam occisi familiam & naturam ipsam.

XXXI. Itaque contra rationem & justitiam esset confusio, homicidam dolosum pœna pecuniariâ mulctans, propter autoritatem Juris divini immutabilem, Gen. 9. v. 6. Levit. 24. v. 17. Num. 35. v. 31. Matth. 26. v. 52. c. pauper 11. q. 3. Non obstat l. 3. ff. ad L. Cornel. de Sicar. d. c. 2. de delict. pueror. l. et si severior 3. ubi gl. v. certis rationibus C. Ex quibus caus. infam. irrog.

XXXII. Ipsa quippe æquitas cùm in benignitate, tūm in severitate consistit, pro facti & circumstantiarum diversitate.

XXXIII. Unde etiam pœna capitalis, alia est mitior: alia rigidior.

XXXIV. Mitior est pœna homicidii dolosi, quod repentinâ & temerariâ mentis perturbatione perpetratur.

XXXV. Rigidior & asperior dolosi deliberati.

XXXVI. Sic exasperatur in latronibus Conf. Carol. art. 137. quemadmodum & l. capitalium § famosos ff. de pœn.

XXXVII. Item in parricidio d. art. 137. Et l. i. l. pœna 9. ff. ad L. Pomp. de parricid.

XXXVIII. In matre, quæ proprium in utero infantem occidit art. 131. ibi Welch Weib/ &c.

XXXIX. In eo, qui veneno è medio tollit aliquem art. 130. ibi wer jemand durch Gifft/ &c. per l. i. C. de malefici: Ubi afferitur plus esse hominem veneno, quam gladio interimere.

XL. Pœna etiam ordinaria tenetur, qui auxilium & consilium præstítit, sine quibus Reus necem committere non potuisset.

XLI. Qui fœtum animatum abegit; aut alioquin abortioni causam præbuit, aut infantem in solitudinem exposuit.

XLII. Item qui vulnerare lethaliter mandat, unde homicidium postea sit secutum.

XLIII. Quo

XLIII. Quo casu tam mandans, quam mandatarius capitaliter plectendi sunt.

XLIV. Et mandantis bona in criminis læsæ majestatis confiscantur, licet post illius obitum mandatarius mandatum executioni demandaverit, Nec obstat l. mandatum C. mandati & l. fin. d. solut. matrimon.

XLV. Quandoque etiam plures poena tenetur ordinaria, in casu homicidii deliberati, licet ignoretur, à quo illud sit patratum art. 148.

XLVI. Sufficiat enim dolus & directa voluntas in ipso homicidii perpetrati actu per c. significasti 2. de homicid. l. 1. §. Divus ff. ad l. Cornel. de siccari. l. 1. Item l. eum qui. C. eod. l. cum autem 23. §. capitalem ff. de ædilit. edit.

XLVII. In homicidio autem tumultuario & temerè factō, illi duntaxat tenentur, qui lethalia vulnera inflixerunt occiso d. art. 148. ibi wer aber den entseibet / &c.

XLIX. Præterea in gravissimis, affectus effectu non secuto punitur. Unde testis, qui falsum dixit testimonium, eadem poenâ est afficiendus, quâ aliquid innocens, innocentia non detestata fuisse affectus Deut. 19. l. 1. §. 1. ibi ad obligationem innocentium ff. ad L. Cornel. de siccari. & tit. seq. de fals.

XLIX. Neque ab ordinariâ poena dolor, ira seu commotio quælibet excusat: sed tantum justa & legibus comprobata, præcedens voluntatem, & mentem alienans.

L. Nec impedit poenam ordinariam, compositio & transactio hæredum occisi cum Reo per l. 5. §. fin. ff. ad L. Jul. de vi publ. l. 15. §. si negaverint ff. ad L. Jul. de adult. tex. in l. 2. C. de abolit. & in c. de collus. deteg.

LI. Ex delicto enim duplex oritur offensa: parti una, Reip. altera per l. 9. §. qui illicitè ff. de publ. & vectig. l. 38. ff. pact. c. 12. de for. compet. & c. 15. §. considerandum de testam. c. 36. de sentent. excom.

LII. Quia interest Reipub. delicta ne maneant impunita, l. 51. ff. ad l. Aquil. Nec res inter alios acta debet præjudicare tertio. penult ff. de re judic. si cui §. ijsdem ff. de accusat. l. modestinus 20. ibid.

LIII. Furiosus licet mentis compos deliquerit, tempore furoris, neq; ordinariâ poenâ est plectendus, neq; extraordinariâ.

LIV. Ejus qui sibi ipsi violentas infert manus bona quandoque Fisco deferuntur art. 53. ibi. wann jemand beschlagt. fac. l.3 ff. de bon. eor. qui ante sent. l.45. §. ejus bona ff. d. jur. Fisc. l.1. §. 2. C. d. bon. eor. qui sibi mort. consiv. 12. C. de accusat.

LV. Culposi homicidij pœna est extraordinaria.

LVI. V. G. Venator ad capiendas feras foveam faciens in itineribus, non tenetur de dolo; sed tantum de culpâ, si quis præteriens incidat & moriatur. Idem dicendum de eo, qui monendi vel docendi caussa quem percusserit, aut vulneraverit, unde moriatur ut, patet ex l. qui foveas. § l. sed et si. 5. ff. ad L. Aquil.

LVII. Hac pœna etiam tenetur, quadrupedis hominem interficientis, dominus; si ferocitatem ejus non ignoraverit art. 136. per tex. in princi Inst. si quadrup. paup. fec. dic. § l.3 ff. eod.

LVIII. Hæc quidem pœna qualitatum seu circumstantiarum ratione habita modò intendi, modò remitti potest, ut patet ex l.38. § ff. ad L. Jul. de adult. l.4. C. eodem l.4. §. l.8. ff. h.t. &c.

LIX. Attamen ad pœnam ultimi supplicii extendi debet minimè. Quod d. l.38. §. 8. ff. ad L. Jul. de adult. ut alijs juris textibus probari potest.

LX. Sequitur homicidium quod à pœna præstat immunitatem ob casum vel necessitatem.

LXI. Hinc vel casuale, vel necessarium nuncupatur.

LXII. Casuale quod fit casu fortuito.

LXIII. Est autem casus, qui nullo modo & ne quidem à diligentissimo prævideri potest text. in l.2. §. si eo tempore ff. de administr. rer. ad civ. pertin. gl. in cap. fin. vi non possint de homicid. c. 2. de deposit. & c. unico de commod.

LXIV. V. G. Si quis ligna findens & securim violenter attollens, aliquem à tergo, quem adesse ignorabat, interficiat: aut per securim è manubrio excidentem, forte fortuna trans euntem trucidet.

LXV. Plura id genus exempla reperiuntur, d. const. Carol. art. 145. ibi ein Balbier. & c. text. in c. 48. 49. 50. 51. distinct. 50 l. si putator. ff. ad L. Aquil. c. dilectus 13. de homicidio c. lator. 9. & c. Joannes 23. & c. 24. eod.

LXVI. Consi-

LXVI. Consimiliter ab omni poenâ immunitatem meretur homicidium à furiosis, mente captis, infantibus, dormientibus, & Noctambulis citra ulla culpæ labem admissum.

LXVII. Homicidium necessarium, quod sit necessitate aut vindictæ, aut defensionis.

LXVIII. Vindictæ, quam jure tenetur Magistratus sumere de facinorosis, & maleficiorum convictis.

LXIX. Defensionis, & vel ob vim publicam; vel privatam repellendam.

LXX. Hinc defensio vel est publica & privata.

LXXI. De privata hic paucis agere nostri est instituti.

LXXII. Quia verò vocabuli cognitio etiam rudis atque Θητόλαντ seu συγκεχυμένη omnium prima & necessaria; Ety-  
mon haut immerito primas sibi vendicabit, ἐστι γὰρ τὸ ἐν τῇ φω-  
νῇ τῶν ἐν τῇ φυχῇ σύμβολο τεστε Aristotele περὶ τῆς ἐρμ. fac. l. in fin. C. d.  
offic. præfecti urb. l. i. D. de J. & J. S. Decuriones. Instit. de testam. ord.  
§. est autem de tutel.

LXXIII. Est autem defensio necessaria Germanicè ein  
Reitwehr/vis atque injuriæ repulsio, depulsio, propulsatio, &c.  
d.l.3. de J. & J. S. d.l.1. C unde vi.

LXXIV. Hinc definitur necessaria defensio, vis atque injuriæ propulsatio inculpata, cuilibet contra quemlibet, personarum vel rerum tuendarum gratia, Jure omni permissa atque concessa.

LXXV. Estq; vel personalis vel realis.

LXXVI. Illa est, quando vis atque injuria inculpatè propulsatur à personis.

LXXVII. Hæc est: quando res seu bona contra vim impunè defenduntur.

LXXVIII. Ultraque potro est vel propria, vel aliena.

LXXIX. Illa est sui ipsius, & rerum suarum.

LXXX. Hæc vero personarum & rerum alienarum.

LXXXI. Ad personalem refertur tamen vitæ, quam pudoris defensio.

LXXXII. Ad realem verò famæ & existimationis tuitio.

LXXXIII. Ut autem hæc, indeq; de ducenda & decidenda  
controversa alia plenius & planius explicitur & innotescant,  
causæ.

causæ potissimum nobis veniunt considerandæ. Scire etenim est rem per causas cognoscere. Arle. teste. i. post. & i. physic. & 2. Metaphys.

LXXXIV. Causarum v. omnium prima est finis, cuius præcipua meritò habenda est ratio, c. dilectus 26. ubi gl. in verb. causa de rescript.

LXXXV. Finis defensionis, est tutela seu conservatio personarum & rerum. d. l. 3. ff. d. f. & f. & d. l. i. C. unde. vi.

LXXXVI. Fine hoc concessio conceduntur & finita seu ad finem destinata.

LXXXVII. Destinatur autem ad tutamen personarum, depulsio vis atq; injuriæ etiam cum vulnere & cæde aggressoris d. l. 3. d. f. & f.

LXXXVIII. Quæ l. 3. duplœ facti continet speciem: prima est de vi, quæ vitæ secunda de injuria seu contumelia, quæ pudori infertur.

LXXXIX. De prima movetur isthæc quæstio: Vtrum vide-licet vim vi depellere, & pro defensione vitæ impunè alium liceat interficere: Affirm. cum certis juris textibus tum Rationibus.

XC. Textibus juris utpote d. l. 3. d. f. & f. l. i. §. vim vi. 27. ff. de vi & vi arm. l. sed et si s. in princ. ff. ad L. Aquil. item c. significasti. de Homicid. ubi Pontifex ex l. 45. §. qui cum aliter ff. ad L. Aquil. ait, vim vi repellere omnibus jurib. permisum. Assentitur Const. crim. Carol. art. 129. ibi: welcher eine rechte Notwehr. ad stipulantur l. 2. 3. 4. C. ad L. Cor. de Sicar. 4. in l. princ. cum l. seq. ff. ad L. Aquil. c. cum homo in princ. c. si. homicid. & c. non est iniquitatis 23. q. 5. itē- Plat. dialog. 9. d. ll. Cic. lib. 1. offic. item lib. 2. def. fin. & in orat. pro Milon.

XCI. Rationibus seu argumentis desumptis ab æquitate, divina naturali & politica.

XCII. Divina: Quia Deo est injurius, qui neglecto caritatis præcepto, plus seipso diligit alium, & plus quam D E U M.

XCHI. Naturali. Quia Natura dictante, omniumque gentium jure, & consuetudine permittente, vitam quis sua culpa prohibetur amittere, cum non sit membrorum suorum dominus, l. liber homo 13. in princ ff. ad L. Aquil.

XCIV. Politica. Quia Respub. exigit vitæ defensionem, & ne quis sua culpa citius ocyus Politiae subtrahatur,

XCV. De

XCV. De altera facti specie itidem in disquisitionem venit, an etiam pudoris illibati conservandi gratia, quis alteri ad internacionem usque resistere possit. Affirm. tām legib. quām rationibus.

XCVI. Legibus d.l.3.d.7. & 7.l.1. §.pen. ff. ad L.Corn. de Sicar. Unde Paul. lib. 5. sent. ad L.Corn. de sicar. Eum qui latronem, inquit, sibi cædem inferentem, vel alium quemlibet stuprum inferre conantem occiderit, dimittendum.

XCVII. Hinc quoque D.Augustin. lib.1. Tom. i. de lib. arbitr. Ut lex, ait: dat potestatem viatori, latronem occidendi, ne ab eo ipso occidatur: Ita etiam viro aut fœminæ, violenter irruentem stupratorem interimendi, ante stuprum illatum.

XCVIII. Rationibus. I. Quia ut multo mitius, eum qui alienæ vitæ insidiatur, quām qui suam tuetur, occidi: Ita longè est tolerabilius, stuprum intentantem encari, quām innocentem stupratum iri.

XCIX. Deinde, quia durum & iniquum opprimenti & nocenti magis favere, quām oppresso & innocentī.

C. Tertio, Quia qui contra vim & injuriam se non defendunt, cum possunt, æquè peccare videnter, atque qui vel ipsi vim faciunt, vel facientibus consentiunt.

CI. Hinc in defensione adversarium mutilans & vulnerans de expensis aut damno heredibns occisi non tenetur, per d.l.3 de J. & J. Item l. nullus 55 ff. de R. Jur. item l. si merces 25. §. cul-pæ ff locati.

CII. Defensor pœnam fractæ pacis non incurrit, nec rem donatam amittit, si ob sui defensionem donatorem interficiat.

CIII. Ut autem d.l.3. Ita quoq; d.l.1. C. Unde vi duæ facti species dantur. Prior de vi quæ possessioni sive rebus: Posterior de injuria, quæ existimationi infertur.

CIV. De priori quæri solet, Utrum possessori liceat propriâ autoritate repellere vim possessioni illatam? Affirm. per d. l.1. C. unde vi l. 2. ff. uti possidetis, consentit, l. 3. Quod metus caussa & l. ult. C. unde vi, l. 14. C. de Jud. & Cælicol.

CV. Vocabulum Possessionis hoc loco pro re possessâ accipitur, quemadmodum & in l. 11 ff. de Eviction. l. 3 ff. de varijs &

B extra-

*extraordin. cognit. l. 1. §. Scævola ait ff. Si quis. testam. lib. esse  
juss. fuer.*

CVI. De posteriori facti specie, hæc quæstio in disceptio-  
nem venit; an liceat injuriam verbalem, famæ seu existimatio-  
nis defendendæ gratiâ, verbis depellere? *Affirm. per l. 1. §. vim vi  
ff. de vi & vi arm. l. 14. §. si libert. l. 25. §. 1. ff. de procurat. &c.*

CVII. Quando duo mutuis se injuriis afficiunt, nec con-  
stat, uter illorum sit provocans, neuter actione injuriarum con-  
veniri potest *per rationem legis 45. §. cum stramenta ff. ad L. Aquil.*

CVIII. Finem defensionis scire expedit tam litiganti,  
quam judicanti.

CIX. Litiganti, cum Actori tum Reo.

CX. Actori ut quoquo versus oculis animi intentis ex-  
pendat, An reus animum occidendi habuerit, & dolo malo ho-  
micide commiserit: an verò moderamen inculpatæ tutelæ  
excesserit.

CXI. Deinde ut libellum rectè informet, dolum malum  
exprimendo potius, quam præsumptivè concludendo *per l. 1. §.  
Divus ff. ad L. Corn. de siccari.*

CXII. Reo, ut exceptionem defensionis cum litis conte-  
statione articulatè concipiatur, seque non dolo malo: sed sui de-  
fendendi studio, homicide perpetrasse, edoceatur.

CXIII. Unde se ab instituta actione cum impensarum refu-  
sione absolvit petat, ostendendo se vi aut injuria provoca-  
tum.

CXIV. Judicii, ut accusatum aut condemnnet, aut absol-  
vat.

CXV. Condemnet, si accusatio plenè & luculenter est  
probata, nec à reo elisa.

CXVI. Si semiplenè, reus invistigandæ veritatis gratiâ,  
torturæ vel est subjiciendus: vel non.

CXVII. Est; si conjecturæ & argumenta apparent, quibus  
præsumptio juris, quæ est contra reum, elidatur, reusq; sit homo  
levis, infamis, ac sceleratus: secus si sit vir integer vitæ scelerisq;  
purus, occisusq; contra rixosus & contentiosus.

CXVIII. Non est, si nullæ conjecturæ vel indicia apparent,  
quæ præsumptionem juris contra reum elidant.

CXIX. Ab.

**CXIX.** Absolvat , si reus actionem institutam exce-  
ptione defensionis elidat luculenter .

**CXX.** Consimiliter cum refusione impensarum ab ac-  
cusatione est absolvendus , si modò sit vitæ & morum integri-  
tate præstans , licet non satis luculenter exceptionem eliserit  
*per l. Arrianus 47. ff. de oblig. & act. l. absentem 5. ff. d. pœn. l. ea que  
153. in fin. ff. d. R. f. l. merito 51 ff. pro socio. l. favorabiliores gloss. in l. 1.  
cum arietes ff. si quadrupes paup. fec. dic. per l. 45. §. cum stramenta ff.  
ad L. Aquil.*

**CXXI.** Quæ sententia est æquitati consentanea , & rigori  
juris semper præferenda , *l. placuit C. de Judic. l. quod si Ephesi §. fin.  
de eo quod certo loco , &c.*

**CXXII.** Sequitur caussa efficiens , quæ vel remota vel pro-  
pinqua .

**CXXIII.** Remota est jus tam gentium , quam positivum .

**CXXIV.** Gentium seu naturale secundarium , quod &  
jus gentium primævum dicitur , sive privativum , non ea ratio-  
ne , quod à gentibus sit constitutum ; sed quod gentibus , id est ,  
hominibus competit , *d. l. 3. de Justic. & Jur. & l. 1. C. unde vi l. 1.  
ff. ad l. Cornel. de siccari. Cic. pro Milon. c. dilecti , de sententia excom-  
munic.*

**CXXV.** Naturale etiam primævum , sed duntaxat secun-  
dum quid . De quo *Cic. in orat. pro Milon. Caius in l. 4. in princ. ff. ad  
L. Aquil. Iulian. l. 1. §. cum arietes. ff. si quadrup. paup. fec. dic. l. 1. §.  
vim vi ff. de vi & vi arm.*

**CXXVI.** Positivum , & tam civile , quam canonicum .  
Utriusque textus habemus expressos de defensione cum mo-  
deramine inculpatæ tutelæ *d. l. 3. de Just. & Jur. & l. 1. C. unde vi  
l. scientiam 45. §. qui cum aliter ff. ad L. Aquil. c. 2. 3. & c. significasti 18.  
extr. de homicid.*

**CXXVII.** Propinqua rursus vel princeps : vel adju-  
vans .

**CXXVII.** Ad principalem refertur non incommodè , cùm  
defendens seipsum & res suas : tūm inter utrumque se interpo-  
nens , qui Mediator dicitur .

**CXXIX.** Mediator hic aut verus est aut simulatus .

CXXX. Verus à læso conveniri nullo modo potest, eò quod non habuerit animum injuriandi cupidum.

CXXXI. Simulatus autem potest, eò quod habeat animum cupidum injuriandi & nocendi.

CXXXII. Defensor percutiens aut occidens mediatorem, arripiētē gladium vel manum ne feriat aggressorem, de percussione vel occisione tenetur, aut non.

CXXXIII. Non tenetur si in certo vitæ discrimine fuerit constitutus *per l. 2. & 3. C. ad L. Cornel. de siccari.*

CXXXIV. Tenetur, si in certo vitæ periculo non fuerit constitutus defensor.

CXXXV. Omnes quippe ac singuli vim atque injuriam inculpatè possunt arcere.

CXXXVI. Non refert, utrum defendens offendendi aliquo consanguinitatis aut affinitatis, vel nullo sit conjunctus vinculo.

CXXXVII. Nec interest plurimū, an defendens sit masculus, fœmina, juvenis, senex, clericus, laicus, supremus, infimus, doctus, indoctus, liber, servus, &c. Quod innuit particula *Quisq; d. l. 3. de Just. & Jur.*

CXXXVIII. Ad instrumentalem seu adjuvantem referri possunt omnis generis arma: veluti gladius, pugio, bombarda, pugnus, lancea, fustis, &c.

CXXXIX. Quæcunque enim arma suppeditat necessitas, iisdem defensor uti commode potest.

CLX. Armorum itaq; parilitas in defensione præcisè non mandatur. Nec obstat c. significasti. Quia in d. c. non tam ligonis instrumentum, quam defensionis excessum Pontifex detestatur.

CLXI. Causa ἀργητού εν εἰσι τῆς οφελίας seu prouitas se se & res suas defendendi.

CXLII. Προκαταρκήτης est ipsa offensio. De qua hæc observanda est regula.

CXLIII. Defensio nulla esse potest sine præcedente offensione.

CXLIV. Materiæ vicem sustinet propulsatio seu declinatio vis & injuriæ.

CXLV. Propulsatur autem vis & injuria.

CXLVI. Nec

**CXLVI.** Nec tantum illata, sed etiam imminens.

**CXLVII.** Unde propulsationi locus est, sive quis eminus arcum aut bombardam è thecâ depromat, ut in te collineet & dislodat: sive cominus gladio, vel alio quocunque armorum genere impetum faciat atque feriat.

**CXLVIII.** Nec solummodo vim injuriosam; verùm etiam violentam quamlibet cum brutorum, tum hominum insano- rum rectè propulsamus.

**CXLIX.** Et tam à personis, quàm à rebus.

**CL.** A personis, tum quo ad vitam; tum quo ad podo- rem illibatum conservandum.

**CLI.** Nec tantummodo suæ ipsius; sed etiam alterius vitæ & pudoris tuendorum causa, defensio cum cæde & san- gvine est permissa.

**CLII.** Et quidem necessariò: vel cum propriæ salutis dispendio; vel citra salutis propriæ dispendium.

**CLIII.** Ex illa necessariò defensionem præstare tenentur.

**CLIV.** Pximo subditi magistratibus, intuitu magistratus.

**CLV.** Secundo vasallus domino, respectu feudi per c.i. tit. hic finitur lex lib. 2. f. 2.

**CLVI.** Tertio. Familia domino, ratione dominii, l. cum do- minus 19. ff. ad SC. Syllan.

**CLVII.** Quarto. Contemplatione læsæ majestatis & par- ricidii, l. utrum 6. ff. ad L. Pomp. de parricid. l. 1. 2. 3. 4. ff. ad L. Jul. Majest. Item patriæ & religionis causâ quilibet vitæ periculo se expo- nere jubetur.

**CLVIII.** Ex hac auxilium & protectionem debent alii aliis.

**CLIX.** Et tam Necessariis, quàm Extraneis.

**CLX.** Necessariis: ut parentes, liberis tam Emancipatis, quàm Legitimis & naturalibus secundum Dd. ad d. l. 3. ff. d. f. & f. & l. i. C. unde vi, varijs de causis.

**CLXI.** Et vice versa liberi parentibus. Quod enim in uno correlato disponitur, in altero quoque, propter identitatem rationis dispositum intelligitur per l. non debet 41. ff. de Reg. Jur.

**CLXII.** Consimiliter affines affinibus: vir, uxori: Item co- gnatus, cognato, &c.

**CLXIII.** Extraneis, ut: Homo, homini: potissimum vero  
Christianus Christiano: propter varia rationum monumenta.

**CLXIV.** Quisquis ergo; sive necessariorum sive extra-  
neorum vitae & pudori succurrit, dum citra vitæ periculum  
succurrere potest, pœnam neque ordinariam, neque extraordi-  
nariam luit, si adgressorem servata inculpatæ tutelæ modera-  
tione interficerit per l. 109. & l. quicquid 50. ff. de R. f. l. 6. in fin. de-  
re milit. l. 2. §. item. vers. quanquam ff. de aqua & aqua plu. arc. La-  
etant. Firmian. lib. 6. insti. c. 11. Cic. lib. 1. offic. Ambros. c. non inferenda.  
Item Seneca: Non solum, inquiens; non nocebis, sed etiam nocentes  
prohibebis, &c.

**CLXV.** Hinc gratis succurrens periclitanti, & eundem  
liberans ab hostibus, recte facere, aut etiam pacta mercede,  
eandem jure exigere posse, prohibetur.

**CLXVI.** Ut à personis: ita quoque à rebus tūm suis tūm  
alienis, vis jure repellitur.

**CLXVII.** In quarum defensione tres hæ subsequentes  
quæstiones notatu sunt dignissimæ.

**CLXVIII.** Prima utrum res à nobis defendi queant? Affirm.  
partim ratione partim jure.

**CLXIX.** Jure: civili, l. 3. §. eum igitur ff. de vi & vi arm. l. 1.  
C. unde vil. 1. C. quando lic. unic. sin. jud. se vindic. l. 4. ff. ad l. Aquil. Et  
canonico c. 2. & 3. de homic. & c. olim 12. §. ult. de restit. spoliator, &c.

**CLXX.** Ratione: Quia res sunt instar secundi sanguinis  
& mediorum ad vitam degendam necessariorum.

**CLXXI.** Secunda: Utrum pro rerum tutamine non tan-  
tum arcere invasores, sed etiam occidere licet privato? Neg.  
rationib. ex sequentib.

**CLXXII.** 1. Quia res ablatæ actionibus & interdictis repe-  
ti, aut nostro labore & fortunæ prosperitate restitui possunt.

**CLXXIII.** 2. Quia rerum corporalium & vitæ humanæ nul-  
la est proportio.

**CLXXIV.** 3. Quia inculpatæ tutelæ moderamen non serva-  
tur, si ob solam rerum tuitionem, homicidium committatur.

**CLXXV.** 4. Quia rerum defendantarum gratiâ homici-  
dium nullo jure permittitur, nisi illarum tutelâ vel jacturâ in  
evidens vitæ discrimin defensor conjiciatur.

**CLXXVI.** Unde

**CLXXVI.** Unde furem cum rebus fugientem, telo vel bombardæ ictu impunè occidere nemo potest, licet eundem capere, aut res suas recuperare aliter nequeat.

**CLXXVII.** At fur nocturnus trucidari impunè potest, si fugere nolit clamore deterritus, l. 4. ff. ad L. Aquil. l. si pignore 54. §. furem. ff. de furt. l. i. C. quando lic. unic. & c. Exod. 22. v. 2. Et c. si per-fodiens 3. de homicid. secus: si fugiat, nec vim faciat l. furem 9. ff. ad L. Cornel. de siccari.

**CLXXVIII.** Diurnus itidem si resistat, telo que se defendat: Et nocturnus (etsi miles sit, nec armis resistat) extra urbem deprehensus,

**CLXXIX.** Eodem modo nocturnus agrorum, populator: item reus majestatis, & hostes publici, à quolibet possunt capi, & ultimo impunè affici suppicio.

**CLXXX.** Talibus namque & similibus in casibus periculum personæ, non rerum, justam raptoris, furis vel hostis reddit interencionem.

**CLXXXI.** Tertia porro quæstio est de poena, qua est plenarius, qui defendendo res, excedit modum præfinitum? Extraordinarià videlicet.

**CLXXXII.** Quæ de rerum defensione sunt dicta, nō ineptè accommodari etiā possunt defensioni famæ, seu existimationis, quæ negligi minimè debet c. nō sunt audiendi 11. q. 3. & c. nolo 12. q. 1.

**CLXXXIII.** Famæ itaque integritas sarta tecta omnibus conservanda: sed non cum cæde alterius.

**CLXXXIV.** Ubicunque enim aliis præstò est defensionis modus, ibidem violentus excusationem non meretur.

**CLXXXV.** Quæritur autem patrocinium existimationi & vel extra judicium, vel in judicio, l. quæ omnia 25. §. 1. ff. de pro-curat. & tot. t. ff. & C. de injur.

**CLXXXVI.** Extra judicium, injuria talis retorsione repellitur & in injuriantem rejicitur.

**CLXXXVII.** In judicio, injuriarum actione criminali aut civili libido injuriantis coercetur.

**CLXXXVIII.** Nec provocatus recriminando provocantem lædit, sed ejus maledicentiam regerit, & famam ab illo labefactatam tutatur, ne convitia agnovisse, & ab astantibus talis esse credatur.

**CLXXXIX.** Sive

CLXXXIX. Sive ergò gregarius gregarium; sive gregarius  
in dignitate aliquā constitutum; sive hic illum contumeliosis  
verbis proscindat, violenta non competit defensio.

CXC. Conceditur enim retorsio, & injuriarum actio:  
Illā retorquentur verba contumeliosa: hāc agitur vel ad inju-  
riarum æstimationem; vel ad παλιωδίαν seu recantationem  
convitiorum, & famæ restitutionem.

CXCI. Pro honoris itaque clientelā, defensionem usur-  
pans violentam, afficiendus est pœna extraordinariā, ob cul-  
pam injuriato datam ab injuriante ad cædem perpetrandam.

CXCII. Hinc statutum concedens privato defensionem  
violentam adversus verbis injuriante, juri & æquitati non vi-  
detur consentaneum.

CXCIII. Forma defensionis consistit in moderamine in-  
culpatae tutelæ. Cujus hæc duo sunt potissimum requisita.

CXCIV. Primum est, ut præcedat offensio violenta vel in-  
juriosa.

CXCV. Quemadmodum autem omnibus: ita & adversus  
omnes vim & injuriā inferentes defensio jure est permitta.

CXCVI. Omnes inquam, sive rationis expertes: sive ra-  
tionis compotes.

CXCVII. Rationis expertes ut dementes, furiosos, Et his  
non multum absimiles, videlicet ebrios, noctambulos; multò  
etiam magis contra bestias.

CXCVIII. Rationis compotes sine discretione 1. dignitatis 2.  
necessitudinis 3. sexus 4. Cujuscunq; conditionis.

CXCIX. Conceditur ergò defensio contra personas, pu-  
blicas & privas: Ecclesiasticas & seculares: præsides & mini-  
stros tām Ecclesiæ, quām Reip. de facto extra ordinem proce-  
dentes.

CC. Hinc receptum, quod magistratibus, vi aut facto  
contra jus aliquid molientibus, unde damnum inde depen-  
dens nullo juris vel facti remedio resarciri queat, resisti, & im-  
perium detrectari possit, per l. 3 §. 1. ff. Quod. met. caus. l. quemad-  
modum §. Magistratibus in princ. ad L. Aquil. l. 32 ff. de injur. l. 5. & 7.  
cum utrobīg; not. per Doctores C. de Jur. fisc. lib. X. & l. 5. C. de metat.

& Epidem.

& Epidem.lib.XII.l ut vim ff de Just.& Jur. Canonist.in c.si quando  
de officio & potestate jud. deteg.

CCl. Si verò magistratus, eorumq; ministri, ex officio  
& mandato exequantur officium atque mandatum, subditi ar-  
mis resistere omni jure prohibentur.

CCII. Defensio etiam permissa parentibus contra libe-  
ros : & vicè versa.

CCIII. Pater enim filium necans defensionis necessitate,  
nulla pœna tenetur.

CCIV. Si verò filium culpam deprecantem, vitæ mo-  
rumq; emendationem pollicentem trucidaverit, ordinariâ le-  
gis Pompejæ de parricidiis, pœnâ est afficiendus.

CCV. Mitiori. Si filii atrocitate & indignatione com-  
motus homicidium commiserit, arg.l 38 ff.ad L. Jul. de adult. §.  
Imperatores. Item l.5 ff.ad L. Pompej. de parricid. fac.l. Grachus 4.C.  
ad L. Jul. de adult.

CCVI. Liberis adversus parentes ; si ad evertendam pa-  
triam & liberos suos necandoſ venerint *per tex.* in l. 25. ff. de  
relig. & sumpt. fun.

CCVII. Consimiliter & à liberis propulsari potest servata  
in culpatæ tutelæ moderatione , vis & injuria patris manifesta.

CCVIII. V. G. Si pater ex insidiis vel proærefi , filium in via  
publica necandi animo , gladio , aut alio telorum genere ag-  
grediatur.

CCIX. Sic filius patrem Bannitum vigore statuti occidere  
impunè potest, per arg.l.38. §. liberto ff ad L. Jul. de adult. tot tit ff.  
& C.de obseq. à liberis & c. parentibus præstant.

CCX. Minimè verò resistendum parentibus , quando  
verbis severioribus aut verberibus asperioribus castigant non  
vi: sed jure patriæ potestatis.

CCXI. Quæ potestas olim erat vaga : (a) hodiè verò cer-  
tis limitibus circumsepta. (b)

(a) l.11 ff de liber. & posth.l.ult.C.de pat pot. (b) dd.2.ll. & l.3.  
C.de pat.pot. & l.uni. C.de emendand propinq.

CCXII. Hinc liberi atrociter delinquentes à parentibus  
sunt accusandi,l.2.ff.ad L. Cornel.l. de sicar.

**CCXIII.** Non verò occidendi.Unde pater qui filium, ob adulterium cum noverca patratum , necuerat , in Insulam deportatus legitur , eò quod patria potestas in pietate non atrocitate consistat,l.5. ff.ad l.Pomp.de parricid.consentit l.3. & 4.C.de pat.pot. Item lex divina Gen. 9. v. 6. Levit. 24. v.17. Num. 25. v.22. Deut.19. v.11.Exod. 21. v.12. & seqq.

**CCXIV.** Patre paternæ castigationis modum præscriptum excedente , filius culpæ potius deprecatione & pedum celeritate saluti suæ tenetur consulere , quām repercutere , ob reverentiam & observantiam natura & lege divina parentibus debitam.

**CCXV.** Si autem deprecationibus nihil promoveat , sed eo discriminis & angustarum deveniat filius , ut alterutri sit succumbendum, licita ipsi est defensio moderata.

**CCXVI.** Justa quoque propulsatio vis & injuriæ concessa cognatis & agnatis, adversus cognatos & agnatos: affinis, adversum affines,&c.

**CCXVII.** Quod de parentibus contra liberos, & vicissim dictum; idem dicendum & de præceptoribus, magistris, tutoribus, curatoribus, conjugibus: adversus discipulos, minores, conjuges & econtra, quoties vim & injuriam inferunt.

**CCXVIII.** Secus est: quoties habita ratione officii verbis aut verberibus delinquentes corrigunt. Corrigentibus enim, ut justa verbis aut verberibus corrigendi defertur causa & potestas : ita correctos æqua manet obtemperandi & perferendi necessitas.

**CCXIX.** Quare hoc in casu filius patrem; aut discipulus præceptorem, &c. reverberando interficiens , pœna puniendus venit ordinaria.

**CCXX.** Tandem nec servis sive propriis hominibus contra dominos justa vis & injuriæ depulsio denegatur.

**CCXXI.** Alterum est, ut sequatur propulsionis cum offensione justa commensuratio,in continenti, laborante adhuc maleficio, defendendi animo.

**CCXXII.** Ubi tria considerauda. 1. Modus. 2. Duratio. 3. Causa.

**CCXXIII.** Mo-

CCXXIII. Modus debet esse justus, id est, propulsationi cum offensione proportionatus.

CCXXIV. Vis enim & injuria atrocior, atrociorum requirit propulsationem: levior, leviorem.

CCXXV. Illa cum cæde & sanguine omni jure est permissa.

CCXXVI. Hæc non item: Moderamen itaque inculpatæ tutelæ excedit.

CCXXVII. Primò qui graviori, vulnere vel cæde vim avertit, quam leviori plaga avertere potuisset.

CCXXVIII. V.G. Qui leviter pulsantem bacillo, gladio lethaler vulnerat, aut interficit.

CCXXIX. Deinde qui objectu corporis, vim propulsat, quam occlusis foribus evitare potuisset.

CCXXX. Tertio, Qui pugno percutere volentem, pugione vel alio telorum genere interficit: Nisi percussurus sit robustus quidam Perusinus: aut audaculus, qui objecta etiam arma non vereatur defendantem manibus extorquere.

CCXXXI. Quarto si verbis læsus, facto ipso se se opponat.

CCXXXII. Hinc in quæstionem venit: utrum Evocatio pro tali offensione habenda sit, ut offensus eandem vi armata possit depellere? V.G.

Utrum, si quis te verbis minacibus evocet, & nisi in harenam secum descendas, se nebulonis aut Titivillitii loco te habiturum afferat, comparere & congregari cum illo tenearis? Negatur. Quia.

CCXXXIII. Primo in benè constituta Reipub. constitutione peculiari omnis omnino evocatio prohibetur.

CCXXXIV. Secundo constituitur, ut unusquisque omissa evocatione jure experiatur, ob causam in l. nullus 14. C. de Judæ. & cælic.

CCXXXV. Tertio pœna tam evocanti, quam evocato comparenti sancitur.

CCXXXVI. Hinc hæredes evocantis ab evocato enecati, accusationem instituere an possint, queritur?

CCXXXVII. Affirm. Si quando de evocatione nondum constat liquido: sed adhuc ab evocato edocenda est.

CCXXXVIII. Neg. Si quando ex actis apparet liquido, eum qui interiit, fuisse evocatorem.

CCXXXIX. Quo casu posteriori. Evocatus non ab omni poena liber est, cum contra Jus Municipale cum evocante sit congressus.

CCXL. Punitur namque poena judicis vel graviori vel leviori.

CCXLI. Graviori, si in propulsionis actu, tutelæ moderationem transilierit.

CCXLII. Leviori: Si tutelæ inculpatæ moderamen servaverit.

CCXLIII. Evocans evocatum si interficiat, pro ratione circumstantiarum itidem vel asperiori vel mitiori afficiendus supplicio.

CCXLIV. Asperiori & quidem ordinario: si ex percutiendo actu, aliisq; certis indiciis probatur animus occidendi.

CCXLV. Mitiori & extraordinario: si quando ex percutiendi modo, indiciisvè aliis, animus occidendi non præsumitur.

CCXLVI. Quando provocans, provocatum: vel hic illum mutilat, aut vulnerat, uterque venit puniendus.

CCXLVII. Provocans, quod contra Jus Municipale provocavit.

CCXLVIII. Provocatus quod vel comparuit: veletiam infermem & imbecillem provocantem mutilavit aut vulneravit.

CCXLIX. Unde consuetudo temerariorum, evocatum ad vindictam privatam, & non comparantem, pro infami timido & effeminato habentium, ideoque à consorcio mensa & conversatione communi arcentium, impia est & injusta.

CCL. 1. Quia vindicta est prohibita & sacrī literis contraria Gen. 15. v. 14. Lev. 17. v. 18. Deut. 32. v. 94. &c.

CCLI. 2. Quia est interdicta legibus, consuetudinibus, & rationibus.

CCLII. Legibus, ut l. 45. §. qui cū aliter l. 52. §. tabernarius ff. ad l. Aquil. l. 14. C. de Judæ. & cælicol. l. penult. & ult. ff de vi priv. &c.

CCLIII. Con-

CCLIII. Consuetudinibus, quas docet esse rationabiles  
c. ult. §. ult. ubi gl. in verb. rationabilis, de consuetudin. c. 2. §. ult. c. ma-  
la consuetudo, cum c. seq. distinct. 8. l. 39. ff. d. ll. & Nov. 134. c. 7. vers.  
male enim l. 2. C. Quæ sit longa consuetudo.

CCLIV. Rationibus 1. Quia famæ & existimationi ema-  
nentis satis est prospectum, aliis juris remediis.

CCLV. 2. Quia tutius est Deo, ipsiusq; vicarii Magistra-  
tus mandato & voluntati, quam vulgi stultissimi vanæ opinio-  
ni & Cacodæmonis instigantis arbitrio & furori obtemperare.

CCLVI. 3. Quia fortis est, qui circa maxima pericula má-  
net intrepidus Aristoteles Eth. lib. 3. c. 9. Et non temere adit. d. lib. 3.  
c. 10 sed consilio & ratione d. lib. 3. c. 10. & 11.

CCLVII. 4. Quia pugnat cum dilectione proximi c. cari-  
tas. 5. § proximos distinct. 2. de pœnit. Matth. c. 5. v. 22. Joan in 1. Epist.  
c. 3. vers. 15. Levit. c. 19. v. 17. Isa. c. 58. v. 4.

CCLVIII. 5. Quia impugnat dilectionem sui ipsius. Qui  
enim consentit in μονομαχίᾳ & ultiōem privatam, sui ipsius  
salutem exponit fortunæ ludibrio vanissimo, adeoq; corpus &  
animum non divinæ Majestati; sed diabolicæ mancipat po-  
testati.

CCLIX. Alterum in moderamine considerandum est: Du-  
ratio, id est, ut fiat laborante adhuc seu durante maleficio.

CCLX. 1. Durante quippe offensione continuatur jure  
defensio tam rerum quam personarum.

CCLXI. 2. Hinc ad defensionem rerum, non tantum bi-  
duum, triduum; Sed etiam latius conceditur spacium.

CCLXII. 3. Et hostis publicus castra vi invadens atque oc-  
cupans expelli potest ex intervallo.

CCLXIII. 4. Quo casu expulsus ex intervallo, etiam in  
continenti expulsus rectè dicitur.

CCLXIV. 5. Cessante verò offensione, cessare debet & de-  
fensio.

CCLV. 6. Peccat igitur, qui insequitur & occidit fugien-  
tem: nisi eo fine decedat, ut vires recolligat.

CCLXVI. 7. Nec exculpandus, qui post amputationem  
manus pedisve humi prostratum, gladio transfodiat.

CCLXVII. Ultimum in moderatione pensitandum, est  
causa: id est, defendendi, non ulciscendi propositum.

CCLXVIII. Hoc propositum aliter cœlesti *næpdiognwsh*; ali-  
ter terrestri judici dignoscitur.

CCLXIX. Ille perfectissimè, distinctè & evidenter uno  
simplici actu, ex intrinseco cordis affectu omnes actiones intel-  
ligit & dijudicat, ut passim constat ex veteris & novi Testa-  
menti Pandectis sacrosanctis.

CCLXX. Hic propositum cognoscit ex ipso propulsan-  
di actu, per assumta extrinsecus argumenta seu qualitates in-  
fensum incidentes secundum *Dd.in l.dolum.6.C.de dolo malo.l.i.G.*  
*ad L.Corn.de sciar.l.i.S.Divus ff.eod.Constit.Carol.artic.143.*

CCLXXI. Primum per præsumptiones & conjecturas,  
præsertim, si noctu, aut alias in solitudine cædes sit facta.

CCLXXII. Quo in casu aggressor præsumitur. 1. Qui ante  
injuria fuit affectus. 2. Qui armis instructus accessit. 3. Qui na-  
tura est rixosior. 4. Qui fugientem fuit prosecutus. 5. in rixa  
mortuus. 6. fortior atque vehementior.

CCLXXIII. Deinde per confessionem ipsius rei. Et vel sim-  
plicem, vel qualificatam.

CCLXXIV. Illa demum probat, si constat hominem esse  
occisum, secus si non constat.

CCLXXV. Hæc verò excusat à dolo reum, si exceptionem  
defensionis probando, elidat actoris intentionem.

CCLXXVI. Qualificata in dubio, id est, neque actore præ-  
tensam accusationis intentionem, neque reo defensionis exce-  
ptionem probantibus, non tantum doli, sed quoq; culpæ excu-  
sationem præstat.

CCLXXVII. Denique per testes, quorum alii ad offensam:  
alii ad defensam deponunt.

CCLXXVIII. Illorum fides diligenter judici est exploran-  
da, quæ in his consistit.

CCLXXIX. Primum ut sint idonei, dolumq; confirmant,  
non nuda asseveratione, sed asseverationis ratione & rationis  
probatione fac. l. 4. C. de testib. argumento. Nov. 90. de testib. c. 2. S. &  
tacet 1. S. arg. l. 8. S. vult igitur 8. ff. de transact l. 4. ff. de suspectis ruto-  
ribus & l. 1. C. de epoch. public.

CCLXXX. Dein.

CCLXXX. Deinde, ut testimonium perhibeant, aue-  
sponte suâ, aut interrogati à judice fac. l. 3. §. Idem Divus Hadrian.  
v. nosti quæ crima. ff. de testib. Authent. ap. eloquentissimum. C. de  
fid. instrument.

CCLXXXI. Horum alia & dissimilis est ratio: Quando-  
quidem admittuntur, primum minus alias idonei, domestici  
conjuncti, suspecti: Nisi forsan evidentia religioni judicis aliud  
suggerat, ut omnis collusionis suspitione liberetur..

CCLXXXII. Deinde etiam illi, qui caussam non exprimunt  
scientiæ.

CCLXXXIII. Defensione probata, probatur & defensionis  
necessitas. Idq; vel 1. ex invasione armata. 2. percussione. 3. Per-  
cussionis metu justo. 4. armorum terrore & strepitu. 5. minis-  
tis, qui eas solitus est mandare executioni. 6. Insidiis stru-  
ctis, &c.



## COROLL.

### I.

**U**Trum scilicet Legitimus per subsequens  
matrimonium succedat in feudis? Af-  
firm. opinio veriore esse videtur.

### II.

*An filia per existentiam masculorum,  
seme exclusa, perpetuò exclusa intelligatur?  
Negat. aquiorem censemus opinionem.*

### III. Si

III.

*Si vasallus feudum legaverit, an heres ad aestimationem saltem ejus teneatur? Negativam putamus veriorem, etiam eo in casu quando ad pias causas legatum est feudum.*

IV.

*Num pater de novo feudo in praesudicium filiorum disponere possit? Affirmantium castra ingredi allubescit.*

V.

*Utrum concubinatus omni iure sit prohibitus & reprobatus? Affirmantium assertionem statuimus verosimiliorum.*

F I N I S.




Jena, Diss.) 1614




3

Sb.

(WMA)



**Farbkarte #13**



B.I.G.

De  
**DEFENSIONE  
NECESSARIA**

*Ex l. 3. ff. de Just. & Jur. & l. i. C. unde vi*

*πτίσινεψις*

*Q U A M*

*Σὺν τῷ πανσόφῳ,*

*Magnificique, in Salana illustri,  
ordinis Juridici auctoritate atque  
suffragio,*

*S U B*

*Amplissimi & Consultissimi Viri*

**DN. DOMINICI ARUMÆI J. U.D.**  
Profess. Publ. Scabinatus & Curiæ provin-  
cialis Adsefforis Celeberrimi, Præceptoris sui plu-  
rimū colendi

**P R Æ S I D I O**

*Publicæ disceptationis examini subjicit*

**A BRAHAM CHRISTNERUS**  
Crimmicio-Misn.

*Ad diem 7. Maji horis locoqz consuetis.*

**J E N Æ**

Typis HENRICI Rauchmauls/

*ANNO*

*M. DC. XIV.*